

Rosario Pius MERENDINO O.S.B., *Das deuteronomische Gesetz. Eine literarkritische, gattungs- und überlieferungsgeschichtliche Untersuchung zu Dt 12-26*. Bonner biblische Beiträge 31. Peter Hanstein Verlag Bonn 1969. Pag. xxvi+458. DM 58,80; lig. 64,50.

Exclusa inquisitione in pericopas singulas investigatio moderna nondum analysim tam profundam dedicavit Deuteronomio cp. 12-26,16 ac P. Merendino O.S.B. ex Abbatia Lacensi hic nobis praestat. Corpus legum deuteronomicum explicatur per tres methodos in titulo indicatas secundum contentum litterarium, formam et structuram propriam, sedem in vita et diversas phases evolutionis usque ad redactionem finalem. Explicite autem excluduntur problemata historica.

Post brevem introductionem in statum recentem investigationis, in corpore deuteronomico cp. 12-26,16 secundum capita singula explicantur. P. Merendino incipit semper cum conspectu datorum scientificorum hucusque elaboratorum et prosequitur cum analysi litteraria singulorum versuum, cuius puncta tandem illustrantur per synopsis litterario-criticam. In usu huius methodi videndus est valor principalis huius operis. Postea tractantur singulatim genus litterarium, traditio et redactio totius textus.

Resultant exinde phases sequentes in evolutione corporis Deuteronomii: A) In traditione praedeuteronomica formantur 1. diversi complexus textuum: textus cultici, sic dicti textus *to'ēbā* et *bi'artā*, textus de iure civili, leges matrimoniales et sociales, series apodicticae et textus liturgici. 2. Characteristicum generis litterarii horum textuum praedeuteronomicorum et harum additionum est in eo, quod constanter habetur relatio ad aliquod « tu », deinde intentio explicita fundandi et explicandi leges, et tandem usus in paraenesi et praedicatione. Hoc demonstrat, in legibus tradendis non tantum agi de conservandis ordinibus, sed primarie de promovenda intelligentia actuali textuum, de educatione et aedificatione hominum. Refertur hic ad familiam, ad communitatem localem et postea ad instructionem leviticam tamquam medium normale huius traditionis. 3. Collectiones singulae in unum redactae sunt valde probabiliter tempore Ezechiae, et quidem in contextu reformationis eius. Corpus hoc usque ad Josiam verosimiliter subivit nonnullas modificationes et additiones. 4. Cum loci paralleli ad librum foederis relate ad materiam eorum specificam, relate ad terminologiam, stilum, partim etiam ad dispositionem materiae in Deuteronomio admodum diversae sint, mutua utriusque collectionis relatio melius explicatur per hypothesim traditionis communis, ad quam ambae redeunt, quamque utraque suo modo attestatur.

B) Redactio deuteronomica consideranda est uti phasis finalis in traditione materiae et non est datanda ante tempus Josiae.

Redactor tractavit textus cum magna discretione, ita ut eos fere non tetigerit. Etiam textus, qui ipsi redactori tribuendi sunt, non omnes creavit ex toto, sed usus est ex parte materia antiqua. Per transpositionem formularum, sententiarum, verborum ab uno textu ad alterum seu per introductionem formularum, sententiarum, verborum similium textus inter se independentes ad invicem assimilare vult et ita intendit corpus legum ligare litterarie ad capita parenetica. Non ergo dicendus est auctor sensu proprio. Intentio eius consistit potius in eo quod extruxit organicam aliquam collectionem. In prima parte corporis (cp. 12-18) adunavit textus, qui de relatione Jahwe ad populum electum agunt. In parte secunda (cp. 19-25), in cuius elaboratione multo minus partem habuit, textus collegit, qui de relatione hominum ad invicem agunt. Cp. 26 constituit appendicem et quidem de functionibus liturgicis, qui expriment relationem sinceram et fidelem ad Jahwe et ad homines. Per formam inclusionis formalis vel materialis characterem unitatis redactor deuteronomicus dedit non tantum collectioni uti tali sed et singulis pericopis. Opus redactoris consistit in « editione » praeexistentis materiae litterariae in corpore unico « compacto ».

Hucusque evolutio codicis legum est haec: initium sumpsit a collectionibus parvis pro usu liturgico et pro instructione familiarum vel communitaria. Dein creati sunt complexus maiores, et tandem perventum est ad incohendam collectionem unificatam deuteronomicam eo fine ut traditiones conservarentur et populo « programma » offerretur tale quale a temporibus mutatis exigebatur.

C) Hoc corpus legum dein ulteriorem modificationem subivit per redactionem postdeuteronomicam, quae in luce ponere voluit certa themata, v. gr. reiectionem certarum formarum alienarum cultus. Cum materia primae partis corporis intentioni redactoris corresponderet, in hac parte specialiter de suo contulit. Utitur normaliter materia iam praeexistente. Lingua, stilus et themata insinuant agi de redactore capitum 1-3(4), qui etiam capita 5-11 elaboravit, i.e. de auctore sic dicti « operis deuteronomistici ». Secunda editio corporis legum esset igitur nihil aliud ac introductio in magnum opus huius auctoris. Connexio redactionalis Deuteronomii cum traditione Pentateuchi fere nulla reliquit vestigia in corpore legum.

Tres excursus, nempe de festo paschali, de textibus to 'ēbā et bi'artā, et de textibus centralisationis offerunt de his problematibus aliquas notas conclusivas, quae momentum speciale habent.

Intra scopum praefixum litteratura existens amplo modo adhibetur. Indices nominum et rerum et praeprimis index locorum S. Scr. minutissime elaboratus facilitant valde studium huius operis eiusque valorem augent.

Concessae sint aliquae adnotationes. Breves introductiones prospicientes ordinem analysis sequentis et demonstrationis ac-

ceptae fuissent. Principia argumentationis non explicitè declarantur et non sine labore ex investigatione ipsa erui debent. Textus aliqui biblici ad probationem interdum fortasse non sunt apti, si pressius inspiciuntur. Analysis litterario-critica hic proposita interdum efficit ut sensus clarus et functio perspicua aliquorum versuum potius obscurentur.

Tamen auctor hac sua fundamentali et profunda investigatione, optime meritus est de discussione capitum 12-26,16 ad quam modo determinante contribuit.

Georg BRAULIK O.S.B.